

V A R I A C R I T I C A

1. AD ARISTOTELEM (384-322)

In Aristotelis carmine de Hermia, principe Atarnei, quod a Diogene Laertio V 6 (=fragm. 674 Rose [Lipsiae 1886 p. 422 et 19], et a Didymo Alexandrino in commentis de Demosthene quae ediderunt Diels-Schubart, Lipsiae 1904 Teubneriana) col. 6, 9 traditur, error in eo versu exstat, ubi omnes editores *πίσται* iniuria legunt, cuius loco *πειθοῖ* rectissime scribendum est.

Artaxerxes enim III Ochus (358-338), rex Persarum, Mentoris imperatoris facultate persuadendi (=πειθοῖ) usus est, cum iste Mentor δόλιος (=dolosus) et Graecus natione ac lingua sollertissime Hermiam, hostem Persarum fautoremque Graecorum, ad colloquium vocare et in insidias posset illicere. Artaxerxes igitur illum principem Graeculum *πειθοῖ* (=suada), non *πίσται* Mentoris nisus cepit; Mentor quidem semper Artaxerxi fidelis erat; qua fidelitate sola non contigisset, ut Hermias caperetur; potius Mentoris machinationibus et pollicitationibus dolosis factum est, ut Hermias tandem captus ad Artaxerxem Susas transferretur ibique (anno a. Chr. n. 341) occideretur.

Ergo primo descriptione morum Mentoris lectio illa *πίσται* falsa reiecta est; nam *πίσται* et *δόλιος* inter se repugnant; praeterea W. Croenert, «Neue Lesungen des Didymos papyros (Rhein. Mus. 62 [1907] 384) aliarum litterarum reliquias in hoc loco carminis cognovit, quae pro mea lectione *πειθοῖ* et *πίσται* perfacile palaeographice et phonetice confundi poterant, restat, ut *πειθοῖ* ad intellectum narrationis carminis optime conveniens scribatur. Hoc ipsum carmen erat secundum ab Aristotele in Hermiam amicum compositum vel sex annis post illum primum hymnum de

Hermiae virtute (Ἀρετὰ, πολύμοχθε...) factum (qui hymnus circa annum a. Chr. n. 341 exortus est; carmen autem secundum circa annum 335 factum est). Callisthenes ille rerum scriptor, Aristotelis nepos et discipulus, qui libellum «Hermiam vel de virtute» scripsit, haec duo poemata ab Aristotele in Hermiam creata in opusculo laudativo posuisse videtur; ex quo Callisthenis libello Didymum Alexandrinum ipsum quoque res ad Hermiam spectantes sumpsisse existimo, sicut idem Didymus etiam aliis rerum scriptoribus usus est; cf. W. Schubart: Einführung in die Papyrskunde (Berlin 1918) 163-165.

2. AD CICERONEM (de oratore II 9, 36)

Celeberrimum illud Ciceronis «historia... magistra vitae» ex ignoto auctore Graeco desumptum invenitur in libro «de oratore» II 9, 36, ubi tota sententia ita legitur:

«historia vero testis temporum, lux veritatis, *vitae memoria*, *magistra vitae*, nuntia vetustatis».

Omnes autem codices et editores hoc pacto scribunt: «vita memoriae», sed falsa est haec scriptio; neque enim historia unquam idem valet atque vita; immo potius historia est memoria, scilicet memoria vitae peractae.

Hanc meam opinionem iam Cicero ipse in oratione Philippica 9 cap. 10 his verbis plane expressit:

«*vita* enim mortuorum in *memoria* est posita vivorum»;

id est: vivorum *memoria* (=historia) *vitae* mortuorum monumentis (de or. II 12, 52) et narrationibus studiosa est.

Atque etiam hac de causa «*vitae memoria*» scribatur necesse est; etenim idem Cicero in «Tusculanis disputationibus» I 24, 27 memoriam ita praedicat:

«...*memoria*, quam quidem Plato recordationem esse volt *vitae superioris*». Cfr. etiam Ciceronis definitionem memoriae in libro «de inventione» II 53, 150: «*memoria* est, per quam animus repetit illa, quae fuerunt».

Quibus verbis manifesto ad notionem ἀναμνήσεως, quam Plato philosophus in dialogo qui inscribitur «Menon» explicat, alluditur; haec igitur recordatio seu memoria vestigia scientiae hominis iam ante eius natum insitae declarat et evolvit; ideo in illo Ciceronis dicto «historia... vitae memoria», historia scientiam significat, quae occasione data expergefit; haec autem est scientia vitae superioris (= prioris), quae hanc vitam praesentem antecessit; ob rem haud dubie «vitae memoria» Cicero ipse scripserat, quoniam *agitur* secundum doctrinam Platoniam de scientia rursus animata (ἀνάμνησις = recordatio = Wissen ist Rueckerinnerung an das fruehere Leben).

Quam ad textus emendationem alias quoque observationes licet nunc adungere.

Historia duas species scientiae complecti videtur: scientiam *speculativam*, quae causas (διότι) inquirat, et scientiam *historicam* (ὅτι), quae res gestas enumerat.

Historia est *testis temporum*; nam rerum scriptor oculis suis et quasi coram res gestas observari eisdemque rebus adesse potest, ut omnia bene noverit ἴστωρ ille scriptor nominari debet ἴστωρ enim testis est, ut ex Homeri Iliade 18, 499 et 23, 486 elucet; scholio ad 23, 486 ἴστωρ ut μάρτυς (= testis) explicatur.

Historia tamquam stella iudicatur *lux veritatis*; Cicero ad familiares V 12, 3 in legibus historiae «*veritatem*» numerat; praeterea idem Cicero in opere «de oratore II, 62 postulat: «ne quid veri (rerum scriptor dicere) non audeat». Cicero de «luce veritatis» etiam haec verba facit in libro qui inscribitur *Academica* II, 31: «nihil... est ei (sc. menti) veritatis luce dulcius». Lux spectat ad evidentiam (ἐνάργειαν).

Historia deinde est «*vitae memoria*»; hoc loco «*historia*» est scientia non speculativa, sed ea scientia, quae ad scientias litterasque priore vita acquisitas, secundum Platoniam doctrinam, pertinet; *historia* hoc loco nihil nisi recordatio (= ἀνάμνησις) rerum est; etiam musa Mnemosyne hic commemorari debet.

Historia valet etiam «*magistra vitae*»; nam historia docet homines vitam prudenter agere rationibusque uti; Cicero in «disputationibus Tusculanis» II 6, 19 etiam philosophiam magistram vitae» laudat; ergo historia quodammodo cum philosophia cognata videtur esse, quia historia (ut *ἱστορία*) scientia quoque speculativa habetur, quae causas rerum altissimas internasque (*διότι*) eodem modo ac philosophia exquirat.

Historia denique «*nuntia vetustatis*» vocatur, quia facta (*ὄτι*) praeterita refert. Apud Graecos Klio musa historiae est, quae patrum glorias (*κλέρι*) pronuntiat.

Cicero historiam modo gradationis descripsit; nam primo historia tranquille cursum annorum et res gestas observat ut testis, qui rebus non tam interest quam adest; deinde historia speculatur de veritate rerum gestarum facitque de eis iudicium; porro facta recordatur et deinceps praecepta moralia e rebus gestis parta tradit et simul vetusta nuntians antiquas res cum rebus recentibus comparat. Quibus quinque actionibus historiae totidem rerum scriptoris officia correspondent: facta quasi coram observare, verum de rebus gestis dicere, recordari (= vetustas res cum rebus recentibus memoriter comparando componere), docere homines praesentes, nuntiare facta futuris hominibus. Cicero admiratione quadam naturam historiae describit neque planissime explicat; has quinque laudes Tullius e diversis Graecorum philosophis collegit et simul hoc in loco ad oratoris modum divino spiritu inflatus protulit. Postea Plinius in epistula IX 27, 1 ita celebravit historiam: «quanta potestas, quanta dignitas, quanta maiestas, quantum numen». Ex ore Ciceronis quidem magis ratio, prorsus admiratio Plinii pectore de magnitudine historiae effluxit. Vir quoque historiae deditus est «felix, qui potuit rerum cognoscere causas» (Vergil. Georgica II 490).

3. AD GELLIUM (c. 100-170 p. Chr. n.)

VI 14, 10 sermo est de eloquentia trium philosophorum Graecorum, qui anno a. Chr. n. 155 ab Atheniensibus Romam missi legati de oppido Oropo cum senatu Romano agerent; «tum admi-

rationi fuisse aiunt Rutilius et Polybius philosophorum trium sui
 cuiusque generis facundiam;
 violenta, inquit, et rapida Carneades dicebat,
 scita et tereti Critolaus,
 modesta Diogenes et sobria.»

lisdem adiectivis etiam Macrobius (c. 400 p. Chr. n.) in «saturnali-
 bus» I 5, 16 usus est:

«fuit, ut relatum est, facundia
 Carneades violenta et rapida,
 scita et tereti Critolaus,
 modesta Diogenes et sobria.»

Gellii verbis et Macrobii comparatis elucet Macrobius fidelissime
 Gellii textum reddidisse; propterea scriptio in editionibus Gellii
 «teretia» pro recto «tereti» tradita falsissima est; nam etiam apud
 Gellium sicut apud Macrobius «tereti» ablativus ita intellegen-
 dus est, ut ablativi forma «facundia» ex antecedenti «facundiam»
 ad «tereti» suppleatur.

Solum modi dicendi horum philosophorum, non eorum sententiae
 in iudicium vocabantur. Demetrius de elocutione 75 recte igitur
 dixit: δεῖ γὰρ οὐ τὰ λεγόμενα σκοπεῖν, ἀλλὰ πῶς λέγεται.

Macrobius hoc ioco multo meliorem praebet traditionem verborum
 Gellii quam omnes codices Gellii; itaque «tereti» etiam pud Gel-
 lium scribendum est. XVI 19, 1: «Hilari admodum et cohibili
 oratione vocumque filo tereti et candido fabulam scripsit Hero-
 dotus super fidicine illo Arione».

«Hilari» necesse est ponatur pro scriptura codicum falsa sensuque
 priva: «celeri»; etenim Herodoti genus dicendi hilare iudicatur
 (=χαρίεν), non celere. Herodotus hanc historiam non locutus
 est, sed scripsit. Ex una codicum stirpe ubi «celari» est etiam
 vestigia adiectivi «hilari» eminent; ad «hilare» cf. Cicero «ora-
 tor» 30, 108 et «Brutus» 53, 197. Adiectivum «cohibile» ab adiec-
 tivo simplici «habile» (=εὐχερές) derivatur, quod «sollers» signifi-
 cat; cf. Gellius VII 14, 7 «cohibitum». XVII 2, 17: «cum iis, in-
 quit (Quintus Claudius), consermonabatur;

«sermonari» rusticius videtur, sed rectius est; sermocinari «*teretius* est, sed corruptius».

Pro adiectivo «*teretius*» codices exhibent «*rectius*», quod ipsum brevi iam ante scriptum videtur; alterum «*rectius*» falsissimum est, quod ita exortum iudico: illud rectum «*teretius*» a scriba quodam in duas partes «*te retius*», deinde in «*te rectius*» mutatum esse, postremo, «*te*» omisso, solum «*rectius*» relictum esse; opponuntur autem «*rusticius*» et «*teretius*» =genus rusticum (ἄγροικον) et teres (στρογγύλον) dicendi. Adiectivum «*teres*» Gellius saepius adhibet: VI 14, 10; XVI 19, 1; comparativus «*teretius*» legitur XIII 21 (20), 15. Cicero utitur hoc adiectivo «*de or.*» III 52, 199; «*or.*» 9, 28, «*de optimo genere oratorum*» 4, 11.

Gellius praebet duo iudicia, quorum prius «*rectius*», posterius «*corruptius*» dicitur; illud «*corruptius*» idem est ac «*minus aptum*».

4. AD ATHENAEUM (c. 200 p. Chr. n.)

Philetas, poeta Cous (circa 340-280 a. Chr. n.) ipse epigramma in sepulcro suo ponendum composuit, quod apud Athenaeum Naucraticam Deipnosophistam IX 401 E ita legendum est:

Ξεῖνε, Φιλητᾶς εἰμι. λόγων ὁ ψευδόμενός με
ᾤλεσε καὶ λεκτῶν φροντίδες ἑσπέριοι.

(cf. Athenaei... Dipnosophistarum recensuit Georgius Kaibel v. II [Lipsiae 1887 Teubneriana] 375, 19-20).

Graeca sic latine reddo: «Hospes! Philetas sum; pseudomenus ille syllogismorum mendax sophisma et cogitationis de conceptibus (= λεκτῶν) vespertinae me perdiderunt».

In huius distichi sepulcralis versu secundo (= pentametro) scribatur oportet λεκτῶν pro falso νυκτῶν; nam haec duo vocabula νυκτῶν et ἑσπέριοι tamquam per tautologiam inter se repugnant, et solummodo aut una vox aut altera postulatur, non vero simul ambae stare possunt; sed cum alter quoque terminus logicus post «*pseudomenum*» desideretur, nihil nisi λεκτῶν ex absurdo illo νυκτῶν potest recuperari; opponuntur λόγων et λεκτῶν; scriba

autem quidam imprudens ΛΕΚΤΩΝ in ΝΥΚΤΩΝ corruptit; ut enim «pseudomenus» terminus logicus valde proprius est, ita λεκτῶν (genitivus pluralis ad λεκτόν pertinens) vox logica certissima disciplinae Stoicae habetur, quam speciem conceptus rarissimam scriba tot saeculis post non iam intellexit.

Ad φευδόμενος cf. Alexander Ruestow: *Der Luegner* (Leipzig 1910).
 Ad λεκτόν cf. Stoicorum veterum fragmenta collegit Ioannes ab Arnim; vol. 4, indices scripsit Max. Adler (Lipsiae 1924) 89; cf. praeterea: I. M. Bochenski: *Ancient formal logic* (Amsterdam 1951) 84, 102.

Postremo notandum est in eadem *Athenaei* pagina 375 (vol. II ed. Kaibel) hos locos hac ratione emendari opus esse:

II 375, 15 τόν καλούμενον φευδόμενον (recte Herwerden, non φευδόλογον);

II 375, 16 ἰσχυὸς γὰρ πᾶν τὸ σῶμα (πᾶν Orth, non πάνυ);

II 375, 17 τὸ πρὸς τοῦ μνημείου (πρὸς Orth, non πρὸ).

EMIL ORTH.